

æqualiter se habeant, aut incertum certo sit duntaxat æquale *C.* Si non habeant se æqualiter, ac præterea incertum longe superet pretio certum, incertique spes certa affulgeat *N.*

28. *Observe.* Atheorum tum actione tum corde talium fundamentum unicum est *cupidas*, vitiorum omnium fecunda radix; unde sibi persuadere, nullum Deum existere, non tam rationum momentis, quam depravatæ voluntatis imperio postremi machinantur. Equidem idem etiam sæpius est initium Atheismi mente talis, nihilominus *mens male feriata* videtur fons ejus proprius ac verus. Invenire enim est homines sic comparatos, ut facile communis sententiæ momenta spernant amore novitatis et paradoxorum illecti; aut ut difficultatum mole opprimantur, quantumvis illæ nullæ sint, aut satis refutatæ. Inde autem fit, ut ad hypotheses ac systemata confugiant quantumvis absurda, modo novus ingenii partus veri speciem mentiatur potius quam habeat, aut difficultates prætensæ declinentur. Porro inter systemata, quæ hac ratione videntur ab Atheis conficta; tria præcipua sunt: *primum* est EPICURI, qui nihil nisi materiam et corpora statuit. Ad hoc revocantur systemata HERMOGENIS, qui seculo secundo inter cæteras hæreses docuit materiam æque esse æternam ac Deum; et PYTHAGORICORUM, qui materiam subtiliorem potentia faciendi omnia instructam tenuerunt. *Secundum* est BERKELEY, Angli cujusdam recentioris, qui præter spiritus in hoc universo nihil admisit. Ad hoc pertinet systema *Immaterialistarum* aliorum, aut potius diversa Berkeleyiani systematis expositio. *Tertium* est SPINOZÆ, natione Batavi, religione primum Judæi, posthæc ad Protestantium partes delati an. 1677. ætat. 44. defuncti, qui unicam in orbe substantiam extensione et cogitatione præditam ponit, hancque Deum vocat. Hæc systemata quam copiose, tam solide confutat *Theologia Naturalis*, recentioris Metaphysicæ pars præcipua.

## ARTICULUS V.

## AN DEUS SIT UNUS.

29. *Nota.* Unum dicitur vel *affirmative*, quatenus unum vocatur, quod est indivisum in se et divisum a quolibet alio; atque hoc modo res quælibet una est: *negative* seu exclusive, quatenus unum idem est ac unicum, seu cujus natura numero multiplicari nequit, vel quod excludit consortium cujuslibet sibi æqualis; atque hoc modo sol unus est. Posteriori sensu quaeritur, an Deus sit *unus*? in qua questione classis negantium est multiplex; 1<sup>a</sup> Gentilium polytheorum et idololatrarum, 2<sup>a</sup> Hæreticorum duo summa principia statuentium, 3<sup>a</sup> etiam Hæreticorum plures Deos *Æonum* nomine admittentium, 4<sup>a</sup> itidem Hæreticorum, qui, quoniam tres Divinas Personas existimabant esse totidem Deos a se invicem natura numerali distinctos, ac totidem individua unius specificæ Divinitatis, vocati sunt Tritheitæ. Contra hos omnes universim

30. *Dico.* Deus est unus seu unicus.

*Prob. ex Script.*, quæ singulis fere paginis prædicat unitatem Dei; Deut. 6. 4. *Audi Israel: Dominus Deus noster Dominus unus est.* Ibid. 23. 39. *Videte,*

*quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me.* 4. Reg. 5. 13. *Vere scio, quod non sit alius Deus in universa terra.* Ps. 17. 32. *Quis Deus præter Deum nostrum?* Marc. 12. 29. *Primum omnium mandatum est: audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est.* Joan. 17. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum.* Ad Ephes. 4. 5. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus et Pater omnium.* 1. ad Cor. 8. 4. *Scimus,.... quod nullus est Deus, nisi unus.* Et v. 6. *Nobis tamen unus Deus etc.*

*Conf.* tum ex Conciliorum et fidei Symbolorum auctoritate, quorum primus articulus est *Credo in unum Deum*: tum ex summo consensu PATRUM, præsertim eorum, qui aut contra Gentiles aut contra Hæreticos pro hac veritate apologias plurimas ediderunt: tum ex universi pene orbis testimonio, quem Apostoli ac eorum Successores a vana plurium Deorum opinione ac cultu ad unius Dei adorationem traduxerunt: tum ex argumentis iis omnibus, quibus aut proxime errores oppositos convincemus, aut alibi veritatem Christianæ Religionis demonstramus, utpote cujus præcipuum dogma *Dei unitatem* complectitur.

*Si ais* 1<sup>o</sup>. Pluritas Deorum in Religione tum Judæorum tum Gentilium a Scriptura asseritur, Genes. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*; ubi *faciamus* et *nostram* denotat pluralitatem. 1. ad Cor. 8. 5. autem: *Sunt qui dicuntur Dii sive in celo sive in terra (si quidem sunt Dii multi et Domini multi)*; ergo. 2<sup>o</sup>. In Scriptura etiam præter Deum Hebræorum agnoscuntur alii Dii; sic Angeli subinde apparentes se vocaverunt Deum; Moyses Exod. 7. 1. constituitur Deus Pharaonis; Judices, Prophetæ ac justi dicuntur Dii. Psal. 81. 1. *Deus stetit in synagoga Deorum.* Et v. 6. *Ego dixi: Dii estis, et filii excelsi omnes*; ergo. 3<sup>o</sup>. Eo modo hi omnes dicuntur esse Dii, quò modo ipse Christus dicitur Deus, ut patet ex Joan. 10. 34, 35, *Nonne scriptum est in lege vestra, quia dixi, Dii estis; si illos dixit Deus, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemat?* sed Christus vere, proprie ac natura est Deus; ergo.

*R. Ad 1. D.* Hæc verba denotant pluralitatem in sensu tropico ac politico, ubi pluralis numerus usurpatur etiam ad explicandam loquentis auctoritatem *C.* in sensu litterali ac grammatico *subd.* Denotant pluralitatem personarum, quia actiones ad extra communes sunt SS. Trinitatis personis *C.* naturarum seu Deorum *N.* Deus est nomen substantiale, adeoque cum ponitur in singulari, essentia non multiplicatur; scriptura autem sic habet: *Vidit Deus, quod esset bonum, et ait: Faciamus etc.* Item hæc verba pronuntiat Apostolus, referendo duntaxat falsam gentilium opinionem *C.* ex propria sententia ac rei veritate *N.* Textus ipse græcus ostendit sermonem esse de iis, qui dicuntur *Dii*, et statim additur: *Nobis tamen unus Deus.*

*Ad 2. R. D. A.* In Scriptura præter Deum Hebræorum agnoscuntur alii Dii, sic tantum dicti ob participationem muneris alicujus, potestatis vel virtutis *C.* Agnoscuntur alii Dii vere tales per proprietatem, naturam et substantiam. *N.* Dii vocantur in Scriptura subinde *Angeli*, quia nomine et auctoritate Dei loquebantur; *Moyses*, quia speciali virtute ac potestate in Pharaonem donatus fuit; *Prophetæ* propter notitiam futurorum a Deo revelatam; *Judices* propter auctoritatem vitæ ac necis concessam; *Justi* propter gratiam et sanctitatem.

Ad 3. R. Christum hic non esse argumentatum positive et a priori, sed argumento duntaxat *ad hominem* ac a minori ad majus. Occasio enim huic divino eloquio fuit Judæorum facta Christo impropertio, quod se diceret Deum, ut patet ex eodem Cap. v. 33. *De bono opere*, inquit Judæi Christo, *non lapidamus te, sed de blasphemia: et quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum*. Hanc calumniam Christus dupliciter propellit; 1°. Argumentum retorquendo: Quare dicitis me blasphemum, quod me dicam Deum, cum secundum legem vestram etiam *justi* dicantur *Dii*: si enim hi ita nominantur, a fortiori ille dici potest Deus, qui a Patre missus est: 2°. Divinitatem suam probando miraculorum auctoritate, dicens v. 38. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est et ego in Patre*.

QUÆRES. Quibus argumentis Polytheismus Gentilium expugnetur?

31. Nota. Polytheismi duplex universim species est, altera sine simulacris aut idolis; altera, quæ statuis quoque et imaginibus, Deorum formas referentibus, cultum defert; atque proprio nomine *idololatria* vocatur. Quamvis Hesiodus quibusdam videatur fuisse liberalior, dum 30 millia Deorum numeravit, tamen excessum in eo nullum deprehendet, qui advertit, vix quidpiam in rerum natura extitisse, cui cultum divinitati debitum non exhiberit gens aliqua et natio. Ac principio quidem astra ac ignem tanquam numina coli coepta fuisse plurimorum est opinio; postea reges ac heroes, aut alios dote vel re insigniores, sub astri cujusdam nomine; tum animalia etiam siderum quamdam speciem referentia aut iis consecrata; donec invalescente ulterius vanitate hominum ac insania, ob commodi cujusdam spem aut experientiam, vel vitandi aut depellendi mali gratia, ad quæcumque ferme adoranda declinaretur. His immixta subinde idola stellarum, vel hominum vel animantium vel monstrorum speciem proponentia, quibus maximam auctoritatem oracula aut alia signa a malignis spiritibus profecta addebant.

Hebræorum aliquorum opinio *Enos* Polytheismi auctorem facit; tum quod Gen. 4. 26. *Sed et Seth natus est filius, quem vocavit Enos: iste cepit invocare nomen Domini*, legendum putant: *tunc cepit profanari nomen Domini*: tum quod ex versione *AQUILÆ* sic intelligi possit: *Ipse Enos cepit vocari nomine Dei*, quasi voluisset Deus appellari, atque hinc ejus filii postea dicti sint *Filii Dei*. Communis tamen id sententia negat ex contrariis omnibus reliquis versionibus, et *Enos* potius auctorem cultus divini publici ac certis ritibus instaurati auctorem vocat; unde ipsius posteri nuncupati sunt filii Dei, seu justi, ut omissam etiam *AQUILÆ* versionem videtur exponere *EMISENUS*: *speravit Enos Deus dici, id est filius Dei: justus enim, qui erant ex semine Seth, filii Dei vocabantur*, ad modum scilicet angelorum, quibus idem nomen in scriptura tribuitur. Idololatriæ autem originem *LACTANT. L. 2. instit. HIER. in Ose. Aug. L. 8. de Civ. alique tum Veteres tum Recentiores de Idolis scriptores deducunt a posteris Chami*; inter quos *Nino* vel *Belo* Regi Assyriorum communiter tribuitur prima idoli speciem humanam representantis fabrica, atque de eo accipitur *Salomonis Sap. 14. dictum. Utraque Polytheismi species, quam hic confundere licet, vario argumentorum*

genere oppugnata jamdudum est a Christianæ Religionis Apologistis *ATHE-NAGORA, JUSTINO, TERTULLIANO, CLEMENTE ALEX., MINUTIO FELICE, ATHANASIO, LACTANTIO*, aliisque; quorum rationes nonnullas pro unitate Dei confirmanda hic referemus.

32. Dico I. Multiplex argumentum contra Polytheismum habetur ex ipsa ratione.

1<sup>um</sup>. Est: Natura, cui singularitas individualis est essentialis, numero multiplicari nequit: sed divinitati singularitas est essentialis; quia existere est Deo essentialis, existere autem singularium est; ergo. 2<sup>um</sup>. Deus est ens summe magnum: sed ens summe magnum par non habet; ergo necessario est unicus Deus. 3<sup>um</sup>. Si Dii sunt plures, ergo differunt vel essentialiter, vel accidentaliter, vel etiam numero tantum: et sic nullus erit perfectissimus. 4<sup>um</sup>. Mundus hic visibilis unicus ex diversis partibus in eundem finem tendentibus resultans non potest explicari, nisi unus admittatur ejus conditor ac rector. 5<sup>um</sup>. Admissa semel pluralitate Deorum, multitudinis non erit terminus; cum numerus quo major, eo etiam sit perfectior, neque etiam ratio habeatur, cur hoc numero tantum Dii sint, et non plures: imo eorum numerus erit actu infinitus; quia, sublata semel unitatis necessitate, multiplicitas infinita est possibilis, possibilitas autem Dei tanquam entis necessarii infert actum ipsum et existentiam. Atqui Deos actu *infinitos* nullus unquam admisit; ergo nec plures admittendi sunt.

33. Nec dicas 1°. Argumenta, quæ contra Polytheismum allata sunt, æque pugnant contra mysterium *Trinitatis*; nam 1°. si tenet hoc: Deus est summe magnus, ergo est unus; etiam tenet istud: persona divina est summe magna; ergo est una persona. 2°. Si tenet hoc: Unus Deus differre nequit ab altero substantialiter, ergo nullo modo; etiam tenet istud: una persona neque accidentaliter neque substantialiter potest differre ab alia, ergo nulla ratione. 3°. Si tenet hoc: poterat unus Deus esse auctor universorum, ergo plures Dii superfluant; etiam tenet istud: sufficit ad universa creanda et gubernanda una persona, ergo plures superfluant. 4°. Sicut sublata Dei unitate infertur infinita multitudo Deorum; sic sublata personæ unitate inducitur pluralitas personarum innumerabilis. Ergo vel his argumentis non probatur Dei unitas, vel evertitur divina personarum Trinitas.

R. Ad 1. N. seq. Disparitas est; quia cum Deus sit verbum *substantiale* et essentiam significans, atque hoc idem etiam sonet ens summe magnum ac omniperfectum, non nisi unum Deum existere necesse est: e contra cum personæ non significant substantiam, et summe perfectæ dicantur tantum ratione naturæ divinæ, ex hujus unitate non sequitur etiam solitudo personæ.

Ad 2. Disparitas est; quia ex eodem capite Dii plures vel naturæ diversitate ut *species*, vel naturæ separatione ut *individua* distingui deberent; atque hinc cum ex utroque haberetur divinæ substantiæ limitatio, recte inferetur unum tantum esse Deum: quia vero neutro modo personæ ad se invicem distinguuntur, cum sint eadem numero atque indivisa substantia, sed sola personalitate differunt; rite non sequitur esse unam tantum personam.

Ad 3. N. Supp. et seq. Nam imprimis creare et regere non sunt prædicata, quæ convenient personæ ratione personalitatis, sed competunt ratione na-

turæ : deinde disparitas est, quia cum natura separata separentur etiam operationes et munera, in diversis Diis etiam foret diversa potentia; unde uno Deo sufficiente aut operante, alter Deus non foret necessarius vel operans: e contra cum non sit dividenda facultas et operatio, ubi non separatur natura, in tribus personis est eadem facultas et operatio est indistincta, adeoque una operante ac sufficiente nequit excludi altera, et sic superflua vel non operari.

*Ad 4. N. parit.* Ratio prioris partis patet ex dictis; cur vero posterior negetur, hæc est: quod personæ originem inter se habeant absque ulla naturæ separatione, et solis connotatis ac relationibus invicem secernantur, quæ amplius multiplicari nequeant: sicut enim in Deo una est ac indivisa substantia, sic et generatio una unusque filius ac una dilectio cum uno spiritu est; sed de his plura in Tractatu proprio.

34. *Nec dicas 2º.* Scriptura universi creationem enarrans Genes. 1. Dei nomine usurpat vocem *Elohim* pluralis numeri. 1. Joan. 7. eo modo Pater, Filius et Spiritus S. sunt unum, quo spiritus, aqua et sanguis; sed tres posteriores sunt substantiæ essentialiter distinctæ; ergo et priores, ac consequenter sunt tres Dii.

R. *Ad 1. Elohim* ac *Jehova* non sunt nisi plura ejusdem Dei nomina, ut patet vel ex ipso Gen. 1. ubi *Elohim*, qui v. 1. legitur creasse cælum et terram, v. 26. ait: *Faciamus hominem*; quod nomen, quamvis sit pluralis numeri, cum verbo tamen numeri singularis utrobique construitur.

R. *Ad 2. D.* Eodem modo unum sunt secundum omnia *N.* secundum quid *subd.* per τὸ eodem modo excludendo unitatem majorem, ac æqualitatem inducendo *N.* secus *C.* secundum *S. Aug. L. 2. cont. Maximin. c. 22. n. 3.* Voces spiritus, aqua et sanguis assumuntur hic tantum ut figura creata ad explicandum *Trinitatis* mysterium; figura autem et imago non debet idem esse cum veritate, adeoque in *Trinitate* potest esse unitas naturæ ac substantiæ, quæ in allatis rebus est tantum concordia testandi divinitatem Christi.

35. *Dico II.* Aliunde etiam multiplex argumentum contra Polytheismum colligi potest.

1<sup>um</sup> Est ex *miraculis* pro unitate Dei confirmanda patris; qualia 1º. sunt ista in Veteri Testamento, quæ præsertim a Moyse facta, aut pro Daniele ac ejus sociis, itemque Machabæis patrata ex ipsis idololatriis aut Atheis extorserunt veri et unius Numinis confessionem. 2º. multa quæ patravit Christus ad probandam suam cum Patre unitatem. 3º. plura etiam, quæ Apostoli, Confessores ac Martyres ad fidem suam in Deum unum contestandam fecerunt. Nam cum Deus sit, qui facit mirabilia magna solus, nec inveniri possint miracula ab aliquo Gentilium Numine patrata, inde consequitur unum esse Deum, qui ab Hebræis et Christi fidelibus adoratur. 2<sup>um</sup> Est ex *idololatrarum punitione*; cujus exempla extant in *V. T.* in vituli conflati adoratoribus, aut ad idololatriam vel idololatras transeuntibus Hebræis, *Achabo* idololatra, *Ochosia* Beelzebub consulente, *Israelis* ac *Judæ* regno vel exciso vel in captivitatem abducto: post Christi adventum autem in *Nerone*, *Diocletiano*, *Maximino*, *Licinio*, *Juliano* Apostata, aliisque idololatriæ instau-

ratoribus miserabili fato sublatis. Quamvis autem et veri Dei cultoribus multa adversa evenerint, et templa etiam sint excisa; tamen id Deo non repugnante et invito, quemadmodum Diis invitis evenisse plura idololatriis gentilium scripta ipsa testantur; sed prædicente, atque hæc vel ad poenam impiorum vel ad nominis divini exaltationem acciderunt. 3<sup>um</sup> Est ex *Polytheorum amentia*; quæ apparet 1º. ex notione ac idea, quam sibi contra rationem de Deo fabricant; cum et malo tribuant divinitatem, et æqualitatem inter plura summa constituent: 2º. ex ipsis rebus, quas Deos sibi fingunt, nempe cæcædæmones, homines flagitiosos vita functos, bruta animantia, res inanimatas, corporum affectiones, artefacta et manuum opera, etc. 3º. ex ritibus ac sacrificiis aut lepidissimis, aut obscænis, aut immanibus. 4<sup>um</sup> Desumunt plures ex *Sybillarum oraculis*, ac Philosophorum non minus quam Poetarum apertis testimoniis, quibus illi, quantumvis exterius Polythei, unum quemdam agnoverunt summum Deum, aliorum quidem, sed inferioris conditionis, Deorum progenitorem ac Dominum.

36. *Nec dicas 1º.* Multa etiam patrata sunt a Diis gentium miracula, prout constat ex idololorum oraculis: ex sanationibus innumeris in templo *Isidis* ac *Æsculapii*: ex prodigiis *Vestalium*, inter quas *Tucia* vitii accusata in contestationem innocentiae cribro aquam hausit; *Claudia* navim, *Idæ* simulacrum vehentem, sola e vado protraxit; ergo.

R. *N. Ant.* Nam 1º. Oracula pleraque erant ambigua: quæ definitius prædicebantur, ex naturalibus causis prænosci poterant: non a Deo sed a dæmonibus ea prodire, poterat sæpius cognosci ex sceleribus per ea suas: iisdem oraculis vera unius Dei religio confirmabatur. 2º. *Dionoro* teste in templo *Isidis* ægroti in somnio monebantur de remedio adhibendo, quod vel fraude mystarum, vel recurrente specie medii a medicis ante auditi, vel dæmonis suggestu contingere poterat: *Æsculapii* curationes vel ipse *Aristophanes* suspectas facit, cæque nonnisi admotis medicamentis succedebant, sæpe etiam falebant. 3º. *Tuciae* miraculum vires dæmonum non excedit; a quibus id factum ad conciliandam falso numini ejusque ministris auctoritatem suadetur, quod *Dionysius* simul scribat, accusatorem hujus *Vestalis* postea nullibi comparuisse, licet sedulo pervestigatum. Idem responsum ad *Claudiam* pertinet; quamvis alii etiam concedant, non repugnare, quominus Deus etiam per paganos edat miracula ad veritatis ac innocentiae testimonium.

37. *Nec dicas 2º.* Multa etiam miracula patrata sunt a polytheis, et ab ipso Antichristo patranda sunt; ergo. *Prob. 1º. p.* ex *Magorum* portentis coram *Pharaone*: ex gestis *Apollonii Thyanæi*, qui puellam revocavit ad vitam, evanuit ex *Domitiani* oculis, et raptus est in cælum inter *Divorum* concentus: ex patratis a *Vespasiano* et *Hadriano*, quorum uterque cæcum illuminavit. *Prob. 2º. p.* ex 2. ad *Thess. 2. 9.* ubi de Antichristo dicitur: *Cujus est adventus secundum operationem Satanae in omni virtute et signis et prodigiis.*

R. Vel *Magorum* miracula non erant vera sed apparentia tantum et sensuum illusiones, atque hinc evenit, quod a *Mosis* miraculis vincerentur; vel aliqua vera etiam fieri Deus permisit ad sui gloriam, ut *Moyse* major

potestas tradita evinceretur. *Apollonium* artibus magicis deditum fuisse, *PHILOSTRATUM* autem scriptorem seculo posteriorem ejus vitam pluribus mendaciis et fabulis incerto auctore relatis infareisse, ostendunt præter *EUSEBIUM CÆSARIENSEM* plures alii. Verum et ea, quæ de *Apollonio* narrantur, aut naturam aut dæmonum vires non excedunt: nam resuscitationem illius puellæ ipse *Philostratus* sic proponit, ut dicat vitalis auræ scintillam forte adhuc latentem medicos fugisse: raptus ex oculis *Domitiani* dæmonum ministerio, ab iisdem doceri poterat Ephesi, quæ Romæ contigerant: præterquam vero quod maxime variant Historici in morte *Apollonii* referenda, mirandum sane non videtur, si dæmones corpus malefici ac spiritum una asportarint. Miracula *Vespasiani* extenuat ipse *TACITUS*, *Hadriani* vero irridet *MARIUS MAXIMUS*; unde merito propria miraculorum ratio iisdem denegatur: quanquam et *Vespasiano* datam a Deo vero miraculorum facultatem concedi possit, ad auctoritatem scilicet illi comparandam, qui tanquam justitiæ divinæ minister destinatus erat ad templi Hierosolymitani ac urbis excidium Judæorumque per orbem dispersionem. *Antichristo* non futuram potestatem vera miracula patrandi docet ipsum testimonium allatum, cum integrum sic habeat: *In omni virtute et signis, et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis, iis qui pereunt.*

38. *Observe.* Bina sunt hæreticorum de Polytheismo systemata, alterum de duplici principio summo, alterum de *Æonibus*. 1<sup>um</sup>. Jam olim inter Gentiles disseminatum fuisse certum est ex idololatriæ historia. *Ægyptii* enim in *Iside* et *Osiride* duo principia contraria venerabantur: *Persæ* *Oromasdem* dicebant causam boni, et *Arimanium* causam mali; inter Græcos Philosophos *Stoici*, præsertim *Democritus* et *Chrysippus*, præter fati necessitatem statuerunt incompositam materiam adversari naturæ beneficæ, atque duo hinc adversantia principia agnoverunt. A Stoicis error hic transit ad *Gnosticos*, quorum auctor ab aliis *Simon Magus*, ab aliis *Basilides Menandri* a *Simone* edocti discipulus statuitur. Inter hos *Cerdo* *Basilidis* discipulus jam a *TERT. L.* de *Præscript.* c. 51. commemoratur admisisse duo initia, id est, duos Deos, unum bonum et alterum scævum; quo magistro usus *Marcion* eandem hæresin vergente seculo secundo disseminare cœpit: latius etiam sparsit *Manes*, a suis *Manichæus* dictus, post medium seculi tertii, quos is sibi 22 discipulos adscivit. *Marcionitas* oppugnavit *TERTULLIANUS* integris libris quinque, *IRENEUS L. 4.* adversus hæreses, *CLEMENS ALEX. L. 3.* Strom.; *Manichæos* autem præter *EPIPHANIUM*, *THEODORETUM* aliosque plures luculentissime insectatus est *AUGUSTINUS*, editis tum ante tum post Episcopatum libris pluribus, maxime autem Libro de natura boni et *L. 21.* cont. *Faustum* capitale hoc eorum dogma confecit. 2<sup>um</sup>. De *Æonibus* systema ex paganismi fabulis fidei nostræ admixtis penitus consutum atque ad determinatum tum classium tum Deorum numerum limatum est a *Valentino* seculi secundi hæretico, cui se maximis viribus opposuerunt inter reliquos Patres præcipui *IRENEUS L. 2.* adv. hæres. et *TERTULLIANUS. L.* adv. *Valent.* hos vide. Sane *Deus malus* suamet absurditate opprimitur, et quæ pro eo facere videntur, passim exigui momenti sunt, ac alibi dissipantur.

## CAPUT II.

## DE ESSENTIA DEI.

## ARTICULUS I.

## AN DEUS SIT ENS INCORPOREUM.

*Nota.* Præter *Polytheos* Diis suis humana membra ac sexum tribuentes; præter veteres illos Philosophos, qui Deum velut mundi animam admittebant; præter impiissimum *Spinozam*, sub Dei nomine ipsam rerum universitatem commentum; circa Dei substantiam e Judæis errarunt *Sadducæi* qui neque resurrectionem agnoscebant neque spiritum, ideoque ab *Arnobio*, *L. 3. c. 12.*, inter defensores Dei corporei recensentur: a Christianis aut similis aut æqualis erroris accusantur *Seleucus* et *Hermias*, a *S. AUGUSTINO* *Manichæi*, qui docebant Deum infinita mole diffusum esse, non undique tamen, sed tribus quadris infinitum; a *SOCRATE* et *SOZOMENO* *Monachi* plures *Ægyptii*, qui seculo quarto in eum errorem desciverunt, quod Deus sit Anthropomorphos, h. e. humanæ et corporeæ formæ, unde et Anthropomorphitas appellati sunt.

39. *Dico.* Deus purus est Spiritus, omnis corporis expers.

*Prob. I. ex SCRIPT.* Joan. 4. 24. *Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in Spiritu et veritate oportet adorare.* 2. ad Cor. 3. 17. *Dominus autem Spiritus est.* Nomen autem *Spiritus* hic proprie et ad litteram usurpatum, probat finis et intentio Christi, qui priore loco Samaritidem mulierem docet, Deum adorandum non corporeo cultu vel uno tantum in templo, sed mente et ubique, quia nec ipse corpus est, nec uno duntaxat loco inclusus. Tribuit Deo ea, quæ corpori congruere nequeunt, sed tantum Spiritui, qualia sunt *immensitas, immutabilitas, immortalitas*, et similia attributa. Asserit nullis lineamentis describi, nulla imagine depingi posse Deum, *Isa. 40. 18.* *Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* Ergo.

*II. ex TRAD.* Ecclesia, quæ Anthropomorphitas, ex quo orti sunt, semper inter hæreticos habuit, in Conc. Later. IV. Cap. *Firmiter*, sic definit: *Una est Dei essentia, substantia seu natura, simplex omnino.* SS. PP. omnes uno ore profitentur hanc doctrinam, et pluribus etiam rationibus confirmant; *ORIG. L. 1. de Princip. c. 1. n. 6.* ait: *Non ergo aut corpus aliquod aut in corpore esse putandus est; sed intellectualis natura, simplex, nihil omnino in se adjunctionis admittens...*, ut sit ex omni parte *μόνας*, et, ut ita dicam, *ἕνας* et mens. *S. HILAR.* in *Psalm. 129. n. 3.* *Intelligendum est, Deum incorporalem esse, neque ex partibus quibusdam atque officiis membrorum, ex quibus unum corpus efficitur, consistere.* *S. AUG. L. 8. de Civ. c. 5.* *Porro si noster*